

**Dissertatio medica inauguralis continens nonnulla de quaestione : utrum phthisis, sit contagiosa, nec ne ; quam, annuente summo numine, ex auctoritate rectoris magnifici Gerardi Sandifort, et nobilissimae facultatis medicae decreto, pro gradu doctoratus, summisque in medicina honoribus et privilegiis, in Academia Lugduno-Batava, rite et legitime consequendis / defendet Michaëlis Adrianus Roodenberg, Delfensis, ad diem XVI Octobris MDCCCXLIV, hora I-II.**

### **Contributors**

Roodenberg, Michaëlis Adrianus.  
Sandifort, Gerard, 1779-1848.  
Harvey Cushing/John Hay Whitney Medical Library

### **Publication/Creation**

Lugduni-Batavorum : Apud J. H. Gebhard et Socios, bibliopolas, 1844.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/wmm86fuf>

### **License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by the Harvey Cushing/John Hay Whitney Medical Library at Yale University, through the Medical Heritage Library. The original may be consulted at the Harvey Cushing/John Hay Whitney Medical Library at Yale University. where the originals may be consulted.

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
[Elibrary@wellcomecollection.org](mailto:Elibrary@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

Collect: A. C. KLEBS

from: Burgersdyk/hauberm.

date: Sept. 1913. fl. 1.50

3586

Roodenberg (Michaëlis Adriamus).

\* Nouuelle de quæstione, utrum phthisis,  
sit contāgiōsa, nec ne, 1844.



YALE  
MEDICAL LIBRARY



HISTORICAL  
LIBRARY

COLLECTION OF

*Arnold P. Leeds*

**DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS**  
**CONTINENS**  
**NONNULLA DE QUAESTIONE,**  
**UTRUM PHTHISIS, SIT CONTAGIOSA, NEC NE.**

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

**GERARDI SANDIFORT,**

MED. DOCT. ET PROF. ORDIN.,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS,

*In Academia Lugduno-Batava,*

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

DEFENDET

**MICHAËLIS ADRIANUS ROODENBERG,**

DELPHENSIS.

AD DIEM XVI OCTOBRIS MDCCCXLIV, HORA I—II.



LUGDUNI-BATAVORUM,

APUD J. H. GEBHARD ET SOCIOS.

BIBLIOPOLAS.

HAUT. 21. 10. 1. GEBHARDT 21.

1844



DISSEMINATIO MEDICA IN AGRICULTURA

CONTINENS

NOTITIA DE QUÆSTIONE

UTRUM PUTRITIA SIT CONTAGIOSA, NEC NE.

GENÆ

AVVUNTE SUMMO NUMINE

BY AUCTORITATE RECTORIS MAGISTRUM

GEORGIUM ALEXANDERUM

MDCCCXXXVII. GENÆ

BY

NOTITIA DE FACILITATE MEDICÆ

UTRUM PUTRITIA SIT CONTAGIOSA

NOTITIA DE FACILITATE MEDICÆ

In Academia Lugduno-Batava

GENÆ



MICHAELIS ADRIANI ROODENBERG

AP. DIEM XVI OCTUBRIS MDCCCXXXVII. GENÆ

19th cent  
AC310.5  
R66  
1844

# Parentibus.

1840

# Journal



## **PRAEFATIO.**

*Antiquum praefationis scribendae morem non sequor propterea, quod querendum est mihi, ut aliis, de difficultate, qua premuntur quibus dissertationis academicae argumentum est inveniendum; contra enim accidit mihi, qui, quum hac de re consulens virum Cl. Suringar, monitus essem, esse quidem etiamnum sub iudice litem de phthisi pulmonali, utrum sit contagiosa nec ne, hoc ipsum vero aptissimam praeberere disserendi materiam, nullo equidem modo dubitandum censui, quin id mihi eligerem; praesertim quum bene cognitum mihi haberem, non adeo multum interesse, quodnam potissimum tractaturus essem argumentum, ex aliis scilicet, ut candide dicam, maximam partem deductum ac derivatum.*

*Verum, haec mihi justa est causa pauca praefandi, quod nefas mihi duco, relinquere Academiam, in qua sequentis omnis vitae jecerim fundamenta, priusquam gratum animum publice significavero iis, quibus debeo.*



---

*Itaque Vobis, Professores aestumatissimi, Viri Clarissimi, pro omnibus quibus me cumulastis beneficiis, pro egregia vestra institutione gratias ago habeoque sinceram.*

*Prae caeteris autem haec dicta esse velim Tibi, Cl. Broers, Promotor aestumatissime, propter ea, quae Tu mihi et antea et hisce praesertim diebus praestitisti, praecepta atque consilia.*

*Tibi vero, Cl. Suringar, quid debeam verbis vix potest exprimi, tum ob optima illa, quae aegrotanti mihi dare voluisti consilia, tum propter tuam, qua semper equidem gloriabor, institutionem theoreticam et practicam, tum vero etiam propter eam quam in hujus ipsius dissertationis argumento eligendo tractandoque mihi dedisti, operam. Dulcis mihi erit benevolentiae et humanitatis tuae recordatio.*

*Vos denique, amici jucundissimi, grata quibuscum mihi fuit consuetudo, et Vos etiam, qui jam plurimi hanc Academiam reliquistis; Valet!*

---



## INTRODUCTIO.

Unusquisque, quaesiturus, an contagiosa sit phthisis, nec ne, primum illud Ciceronianum in memoriam sibi revocabit: *omnis enim, quae a ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet ex definitione proficisci; ut intelligatur, quid sit id, de quo disputetur*; nempe: quid est morbus contagiosus? quid est phthisis?

Non audentes contagii doctrinae campum experiri hoc tantum dicemus, nobis morbum cóntagiosum esse talem qui valet, explicandâ fixa fluidave materie, procreare sibi plane similem morbum in aliis organismis. Phthisin dicimus Phthisin pulmonalem tuberculosam s. veram.

Haec sufficiunt, quum et de contagio et de phthisi tam multa dici possint, ut argumenta peculiarium disputationum dissertationumque inde peterentur.



Pauca vero dicenda sunt de divisione. Argumenti tractatio tum demum erit fructuosa, historice si tractatur. Eo enim non tantum diversas scriptorum sententias diversis temporibus cognoscimus, verum plerumque etiam causam adjectam videmus cur hanc illamve secuti sint sententiam.

Ideo non absonum erit, enumerare sententias summorum virorum, qui de hac praecipue re dixerunt, tam veterum quam recentiorum, ut eo pacto, si fieri potest, comparandis explorandisque ad probabilem finem pervenire possimus.

Nimirum referemus:

**CAP. I.** Sententias eorum qui phthisin contagiosam habuerunt.

et sic quidem

§ 1. Eorum, qui verbis rationibusque.

§ 2. Eorum, qui factis hoc probare studuerunt.

**CAP. II.** Sententias eorum qui phthisin non contagiosam habuerunt.

denique

**CAP. III.** Epicrisin sententiarum quas hac de re scriptores proposuerunt.



## CAPUT I.

### SENTENTIAE EORUM QUI PHTHISIN PULMONALEM CONTAGIOSAM HABUERUNT.

Quamvis apud Hippocratem, Celsum aliosque principes medicos veteres nihil de quaestione inveniat, utrum phthisis sit contagiosa, nec ne, apud quosdam tamen hac de re sententiae de industria expressae sunt; et quamvis veteres, sic Marx (1), sub vocabulis *Tabes*, *φθισις*, *φθοη* majorem (2) ambitum morborum

(1) *Origines Contagii* Carlsruhe 1824. p. 141.

(2) Antiquitus communi nomine *tabes* dicebatur morbi genus, quo laeditur corporis nutritio ejusque tres discernebantur species. Una est, qua corpus non alitur et naturaliter, semper aliquibus decedentibus, nullis vero in eorum locum subeuntibus, summa macies oritur; atrophiam hanc Graeci appellant. Altera est quam Graeci *καχεξία* nominant, ubi malus corporis habitus est ideoque omnia alimenta corrumpuntur. Tertia est longeque periculosissima species, quam Graeci *φθισιν* nominaverunt, oritur fere a capite: inde in pulmonem destillat. Ex hoc ulceratio accedit et febricula lenis fit, quae etiam cum quievit tamen repetit. In ea quoque frequens tussis est et pus excreatur; interdum cruentum aliquid:



comprehenderint, vix tamen dubium est, quin solum phthisin purulentam inter contagiosos numerarint. Ideo mirum est quod Hallerus (Bibliothec. pract. Tom. I. pag. 522) dicit: Phthisin contagium habere primus, ut puto, Fracastorius vidit.

Et revera Aristoteles (1) quaerit, cur a tabe et lipitudine et scabie appropinquantes capiantur, neque vero ab aliis morbis?

Et etiam Galenus (2) inter morbos contagiosos pestem, scabiem, ophthalmiam et tabem nominat, additque, periculosum omnino esse concuescere cum his qui putridum adeo expirent ut domicilia in quibus decumbunt, graviter oleant.

Caeterum ex hisce verbis medicorum arabum Rhazis et Avicennae luculenter apparet illos hac de re cogitasse.

Aegritudines vero quae de uno transeunt ad alium sunt lepra et scabies et phthisis et febris pestilentialis; quae tunc accidunt cum aliqui in mansionibus angustis cum hominibus ista patientibus, vel sub vento sedent (3).

Et est praeterea in aegritudinibus quaedam quae de uno ad alium transit, sicut lepra et scabies et variola et febris pestilentialis et ophthalmia et phthisis et vitiligo (4).

---

Ex hisce Celsi verbis intelligitur, quid de hoc morbi genere universe statuerint veteres.

C. Pruijs van der Hoeven, de arte Medica Lib. II. Pars I. pag. 370.

(1) Problem. VII. pag. 551.

(2) De Febr. diff. I. 3. Tom. VII. pag. 108.

(3) Rhazes de re Medic. Lib. IV. Cap. XXIV. pag. 105. opusc. Basaleae 1544 fol.

(4) Avicenna Can. Medica I. Fen. 2. Doctr. 2. pag. 95. vol. 1. Ed. Venet. 1595. fol.



## § 1.

*Sententiae eorum qui verbis rationibusque  
probare studuerunt.*

Inter recentiores primus videtur Fracastorius egisse de hac quaestione et tantam fidem habuisse phthiseos contagioni, ut crederet contagiosam materiem post duos etiam annos vestibus inhaerere. Librum ipsum inspicere mihi non contigit, ita ut ipsius verba afferre nequeam.

Inter primos nobis obvenit Kleinius (1) dicens: Contagiosa est φθογῇ atque circa aequinoctia exacerbat, autumnus maximopere exitio esse solet.

Apud Sennertum (2) invenimus: Hinc videmus vaporem exhalantem e bove peste laborante non hominem sed bovem inficere, et qui halitus e pulmone phthisici emittitur non cutem inficit et scabiem generat sed solum pulmones inficit; contra scabiosus cutem alterius, non pulmones inficit.

Et Morton (3) hisce verbis sententiam declarat: Contagium etiam hunc morbum (nempe phthisin) propagat. Hic enim affectus (uti frequenti experientia observavi) lecti socios miasmate quodam sicuti febris maligna inquinat.

Valsalva (4) posteaquam juvenis in phthisis periculum venit, ut in ejus scriptum est vita, cadavera istiusmodi morbis absumptorum minus, opinor, quaesi-

(1) D. L. G. Kleinii, Interpres Clinicus pag. 232.

(2) D. Sennerti, Op. Tom. II. Lugd. Bat. 1650. Lib. IV. Cap. III. de Contagio pag. 147.

(3) Morton phthisiologia Lib. II. Cap. I. pag. 27.

(4) J. B. Morgagni, de Sedibus et Causis Morborum Tom. I. Lib. II. Epist. XXII. pag. 458.



vit. Ego vero, ut me tibi aperiam, illa fugi de industria adolescens, et fugio vel senex, tunc ut mihi, nunc ut studiosae, quae me circumstat, juventuti prospiciam, cautius fortasse quam opus sit: at tutius.

Sarcone (1) dicit phthisin morbum esse valde contagiosum sed numquam epidemicum fieri, sibi quidem cognitum esse doctum Italum Cocchium maxime studuisse, ut contrarium probaret, sibi tamen non operae pretium videri, illum refutare; prudentiae tamen rationes, quas adhibuerit sanitatis Collegium Florentiae, (Deputation der Gesundheit zu Florence), probare, dicit, illius opinionem non vulgo fuisse receptam.

Von Hildenbrand (2), contagium dicit esse quotidianam, magis magisque se extendentem causam phthiseos: se hujus rei tam clara habere testimonia ut sibi quidem phthisis aequae sit contagiosa, ac syphilis. Miratur porro quod, cum phthisis imprimis locum habeat inter conjuges, ejusmodi conjugia sine ullo impedimento fiant, atque quaerit, quisnam concessurus esset conjugium ei, qui pestilentia aut rabiosi canis morsui laboraret. Dicit quoque, multa se vidisse exempla, robustos sanosque aegrotantium ministros contagione illa fuisse contactos, quin etiam infantes recens natos, praesertim si macerae debilesque nutrices malam haberent consuetudinem nutriendi eos pane dentibus confecto neque paullulo eo lactis, quod ipsae haberent, quod inter Judaeos imprimis accidere soleat.

Apud Kopp (3) invenimus, cum usus lecti et vestitum eorum, qui phthisi mortui essent, noceret iis,

---

(1) M. Sarcone, von den Kinderpocken übersetzt von Dr. L. F. B. Lentin, Gott. 1782. pag. 229.

(2) Hufeland's Journal der Practische Arzneykunde und Wundarzneykunst Achter Band, Viertes Stück Jena 1799.

(3) Jahrb. der Staatsarzneykunde Jahrg. IV. pag. 345.



qui his uterentur, publice a collegio quodam Weimariensi (Herzoglich Weimarische Landespolizey Collegium) hac de re monitum esse die 14. m. Aprilis a. 1810. nimirum: »Die von Lungensüchtigen Personen getragene Wäsche ist mir mit der grössten Vorsicht, und nachdem sie vier bis sechsmal in Lauge oder starkem Seifenwasser ausgekocht worden ist, zu gebrauchen, Wollene Kleidungsstücke aber und besonders Betten sind sofort zu verbrennen, oder auf sonstige Weise zu vernichten; indem vorzüglich die Letzteren von den fettartigen Schweissen womit gewöhnlich Lungenkranken, ehe sie sterben, befallen werden, durch keine Vorkehrungen gesäubert werden können.»

Sachtsleben (1), quamvis etiamnum disputetur de quaestione, utrum phthisis ulcerosa sit contagiosa nec ne, miratur, tot medicos, sicuti Cocchium, Castellanium, Portallium adhuc hujus morbi in dubium vocare contagionem, quod tamen summorum medicorum experientia procul omni dubio sit positum; dicit porro, Galenum jam hujus morbi contagionem cognovisse, Morgagnium cadaverum sectiones eorum qui hoc morbo obiissent, vitasse, summos in Italia medicos contagiosum eum habuisse, propterea quoque Bologniae in Italia, in Hispania, et Portugalia legem esse, secundum quam vetitum sit illorum uti vestibus, et secundum quam lectus reliquaque eorum supellex comburenda est (2). Fieri hoc solere etiam in Languedoc; propterea quoque, simulatque tertium adsit morbi stadium, illarum regionum medicos debere dilationem facere phthisicorum, ne ipsi lege puniantur. Deinde

---

(1) Versuch einer Medicina Clinica Theil II. Danzig 1792. pag. 22.

(2) (Gazette de Santé p. Gardane pag. 201.)



*dicat, quamvis ex superioribus, non jure de phthiseos contagione dubitari posse, pateat, sibi tamen videri, fieri non posse, ut hic morbus propagetur communi usu instrumentorum, supellectilis purgatae, una habitando in magnis saepeque patefactis cubiculis, et porro, ibi demum sibi videri morbum esse contagiosum ubi naturalis jam adsit dispositio.*

Inter nostrates Doct. Ontijd (1) hisce verbis sententiam professus est: »Hoezeer ook in onze dagen sommige geneeskundigen het tegendeel (het niet contagieuse) hebben trachten te beweren, behoort echter, blijkens de ervaring, de beste leermeesteresse in het ondermaansche, de phthisis in derzelver gevorderde tijdperken buiten kijf onder die ziekten, welke door besmetting aan anderen kunnen worden medegedeeld; hoe vaak heeft niet de te voren eene bloeiende gezondheid genietende echtgenoot, van zijne aan longtering sukkelende gade, de eerste zaden dier ziekte ontvangen! Zijn de voorbeelden der medegedeelde ziekte door moeders en minnen aan hare zuigelingen, en zelfs door de lijders aan derzelver oppassers wel minder menigvuldig? men zou derhalve alle historisch geloof moeten afleggen en de waarnemingen zijner zintuigen voor valsch houden, om de waarheid dier besmetting een oogenblik in twijfel te kunnen trekken. Intusschen zijn aan den anderen kant sommigen te ver gegaan met de longtering altoos voor besmettelijk te houden; in het eerste tijdperk der longtering is de ziekte nimmer aanstekend, mij is geen voorbeeld bewust van eene besmetting gedurende dat tijdstip; in de phthisis consummata, volkomen long-

---

(1) Geneeskundig Magazijn door A. v. Stipriaan Luisçius, C. G. Ontijd en M. J. Macquelijs, deel III. stuk II. Leyden 1804. pag. 33.



tering, zijn de etter, etterachtige slijm, buikloop en het stinkend wegsmeltend zweet doorgaans de vehicula, waardoor de kwaal aan anderen wordt medege-deeld; voorts is volgens onze ervaring de longtering meer of min besmettelijk, naarmate het beloop der ziekte schielijker of langzamer is, zijnde de aanste-kende kracht eener phthisis chronica dikwerf vrij ge-ring, alhoewel de meerdere of mindere vatbaarheid van het te besmetten voorwerp insgelijks hieromtrent zeer veel afdoet, zoodat onzes inziens de besmetting der longtering in de zamengestelde rede staat van de onderscheidene soorten en tijdperken der ziekte aan den eenen, en het meer of min prikkelbaar gestel der blootgestelde voorwerpen aan den anderen kant."

Secundum Naumann (1) nullum est dubium, quin phthisis quoque contagio communicetur, additque, praecipue, sputa foedita halitumque infectum aegro-tantis et aërem exhalationibus in ultimo colliquationis stadio infectum, vim habere contagiosam. Experien-tia docet, phthisin in regionibus meridionalibus po-tius quam in septentrionalibus locum habere, unde cau-tiones explicandae sunt, quae in Francia meridionali, inque Italiae quibusdam regionibus adhibentur. Com-buritur quodcunque usui fuit phthisico, et aegrotan-tis cubiculi solum purgatur. In regionibus vero sep-ten-trionalibus tum demum oritur contagio, quodsi morbus brevissimo tempore pulmones quam maxime conturbavit, vehemente febre comitante, aegrotus in angusto si decubuit cubiculo, ubi aër semper ex-halatione ejus repletur, ejusque excretionibus inficitur; quodsi denique contubernales vestium ejus, supellec-tilis lectique participes sunt; praeterea morbi semen

---

(1) Handbuch der Medicinischen Klinik, Erster Band pag. 727.



quodammodo adesse debet; videtur quoque constitutionalis, quae dicitur, phthisis multo magis, quam accidentalis vim habere contagiosam.

Tandem, sic Lorinserus (1), phthisis quibusdam in casibus, contagio cum iis hominibus potest communicari, qui dispositionem habent. Hujus rei veritas non tantum ratione theoretica, verum etiam multis exemplis, Kleinii, Morgagni, Valsalvae, experientia probari potest. Accipere possumus, contagiosam cum aëre susceptam materiem, in pulmones ut peculiare incitamentum, vim exercere, unde oritur impedimentum respirationi, quod formatio tuberculorum sequitur. Prae reliquis ii contagioni obnoxii sunt, qui cum aegrotante communes habent domum, coenam, lectum. Contagium eo facilius locum habet, quo amplius phthisis se extendit, quo major destructio facta est pulmonum, verbo, in ultimo stadio. Quod saepe in regionibus meridionalibus, rarius in septentrionalibus contagium locum habet, id hinc explicari potest, quod vis contagionis frigore solet deprimi, calore excitari.

Hubener (2) valde difficile, inquit, jam est fines constituere, inter morbos contagiosos et non contagiosos, quod Bachius jam monuit. Exempla affert morborum qui modo contagio communicati, modo non sint. Secundum Leroi phthisis in Europa meridionali sola jam consuetudine vestibusque est contagiosa; deinde dicit de cautionibus, quae adhibentur in Provincia alibique, atque affert Kleinium, Morgagnum alios, nec minus verba Lorinseri, eos imprimis contagioni esse obnoxios, qui et assidue cum aegroto sint,

---

(1) Die Lehre von den Lungenkrankheiten, Berlin 1823. pag. 88.

(2) Lehre der Ansteckung, Leipzig 1842. pag. 134.



quique jam habeant morbi dispositionem; conjugem tamen, quod multis didicerit exemplis, alterum ab altero non semper suscipere morbum. Deinde Jobim (1) affert, qui narrat, in multis aegris, qui in hospitia venissent ad alia curanda mala, dum nullum phthiseos signum appareret, diutius si ibi mansissent, illum erupisse morbum; se in privata quoque praxi saepe vidisse conjuges diversae constitutionis, nec minus servos, qui morerentur, nulla alia ex causa, nisi quod primus phthisi mortuus esset. Quodsi hinc non certo contagiositas phthiseos demonstratur, esse tamen probabile, quae ad cautiones conducere possit: porro communem quoque opinionem, quae est in calidis Europae regionibus, defendere eam; deinde, quamvis in rebus, quae scientia nituntur non ducendi simus vulgi opinionibus, neque vero illas sine ulteriori per-  
 vestigatione esse abjiciendas. Phthisin in calidis regionibus magis esse contagiosam quam in frigidioribus, Jobim inde existimat esse explicandum, quod in calidis regionibus phthisi sudor colliquativus, in frigidioribus diarrhoea finem imponit.

## § 2.

### *Sententiae eorum qui factis probare studuerunt.*

Inter primos nobis obvenit N. Tulpius (2), quem foetor tabidus, consumpti pulmonis senioris Berrovici qui

---

(1) Jobim Discurso sobre as molestias que mais affligem a classe pobre de Rio Janeiro, Lidona sessao publico da Sociedade de Medicina a 30 de Junio 1835 pelo suo Presidente, Jose Martins da Cruz etc. Rio Janeiro 1835.

(2) Nic. Tulpii Obs. Medic. Ed. VI. Lugd. Bat. 1739. Lib. II. Cap. XI. pag. 115.



post sanguinis sputum in tabem incidisset, a sectione deterruit, noxius forte non minus medicis quam ipsis consanguineis.

Van den Bosch (1), exemplum refert novae nuptae phthisi mortuae, cui viduus eodem malo captus parum diu supervixit et vitae curriculum aetatis flore absolvit; quamobrem addit: Ex repentino mali in nostro progressu, videtur manifesta contagiosa fuisse in uxore phthisis; id quod primariorum medicinae scriptorum una vox est.

Riverius (2) dicit: Foemina senatoris phthisica mortua mense majo 1635 habuerat famulam tempore morbi quae ipsi serviebat, paulo post laborabat febris lenta et tussi sicca, quae illam semper aequè fortiter affligebat, et secundum phthiseos gradum denotabat; ast tamen artis auxilio fuit curata.

Apud Swietenium (3) legimus: Talibus (qui sputa foetida ejiciunt) autem phthisicis consuescere tutum minime videtur, cum putridus sputorum halitus ab adstantibus una cum aëre inspirato in pulmones trahatur, metus enim est ne contagio in sanos propagatur morbus. Certe juvenis ille, cujus modo mentionem feci, infecit sororem et ancillam, quae ipsi in morbo assidue ministraverant. Paulo quippe ante dicit, se vidisse casus ubi cum sputis olidissimis diu adhuc vivebant aegri, et solitis poterant vacare muneribus; imprimis hoc miratum esse in juvene qui foetidum adeo sputum mane rejiciebat, ut ferre vix po-

---

(1) J. J. v. d. Bosch, Hist. Const. Epidemic. verminosae Lugd. Bat. 1769. pag. 224.

(2) Rivière, Cent. Obs. 99.

(3) Ger. L. Bar. van Swieten, Commentaria in H. Boerhaave Aphorismos Tom. IV. Ed. II. § 1206. pag. 72. Lugd. Bat. 1779.



tuerit, licet se non adeo delicatum credat, ut a similibus facile afficiatur.

J. Schmid (1) observationem habet de miro phthiseos contagio, ut inscribitur, nempe: Uxor cujusdam viri senatoris phthisi misere divexata tandem moritur. Maritus amplissimus illius vestes, lintea, lectos statim in loco separato asservari jubet. Anno spatio elapso ad secunda vota transit, et ne sponsa priori affectu contaminetur omnibus modis praecavet. Habent autem contra frigus munimentum aliquod mulierculae nostrae quod vernacula lingua *muffe* appellant cui manum utramque imponunt: nihil exinde maritus mali metuens, uxorem hac veste uti concedit. Ipsa statim tussire incipit, tussisque aucta tandem in phthisin, haec denique in mortem, adhibitis licet mille remediis, desiit.

Pag. 83. legimus observationem Danielis Crugeri (2) matronae cujusdam, quae a marito phthisi mortuo infecta, attamen dec. lign. sancti per quatuor septimanas usurpato, sanata esset; cui additur: Remedium non in alia phthiseos specie locum habere existimo, nisi in illa quae a contagio contracta et ubi character phthiseos neque in familia neque ipso corpore haeret.

Pag. 106. G. S. Polisius (3) casum puellae octodecim annorum refert, cui, cum caput sustinisset venerandi Theologi tantam haemoptysin passi, ut una cum purpureo liquore ipsam ejecturus animam videretur, sequenti nocte idem incurrit malum, roseum liquorem

---

(1) Dec. annorum secund. miscellan. Medico-Physicorum Annus quartus pag. 120.

(2) Ephemerid. Germanic. Ann. Secund.

(3) Ann. quart.



ex pulmonibus expuenti; cruenta reiectione aptis medicinis cohibita, tamen non prohiberi potuit quin phthisis et tabes formosum hocce corpus consumerent, vix praeterlapso semestri spatio; undenam contagium haemoptysis et phthisis probare vult.

Fournier (1) loquitur de robusta, et, ut videbatur sana nutrice, quae — quum phthisicum infantem Anglum lactaret, — incidit in ulcerosam phthisin, qua intra tres menses undecimque dies fuit abrepta.

In Journal de Paris pour l'an 1780, exemplum juvenis viginti annorum invenitur, qui cum vestibus et praecipue instrumento quodam (witchoura) usus esset patris phthisi mortui, in phthisin incidit.

Fritze (2) declarat, sibi multorum medicorum observationem, phthisin esse contagiosam, experientia probatum fuisse. Narrat, ipsius cognati phthisi mortui ministrum usum esse hujus vestibus illotis, in quibus lanea tunica, quam ille non diu ante mortem induisset, quaque indutus mortuus esset; quatuor hebdomadibus post incidisse hunc in siccam tussim febremque, atque intra semestrum diem obiisse supremum. Deinde mea soror, inquit, nupta fuit marito manifesto phthisico, cujus plures fratres, sorores eorumque liberi, alii phthisi erant mortui, alii tussi febrisque erant obnoxii. Aliquot annis post connubium facta est chlorotica et asthmatica, tussim suscepit siccam, calorem ardentem in palmis soleisque; mater etiam facta est sex liberorum, qui omnes vero ad phthisin essent dispositi; passa est aliquot annos vitam

(1) Obs. sur la nature, les causes et le traitement de la fièvre lente etc. Dyon 1781.

(2) Medicinische Annalen für Aerzte und Gesundheitliebende von 1779 bis 1780, Erste Band, Leipzig 1781. pag. 231.



angustam, pus excreavit, tandemque in tabescentem febrem incidit, qua occubuit. Mea in familia neminem novi phthisicum, modicamque sororis vitae rationem attestor. Ipsius maritus superstes hodieque vivit aetate sexaginta amplius annorum, tussit, sputa ejicit, caeterum bona validaque valetudine fruitur. Illum, sic pergit, tricesimo aetatis anno phthisi non longe a morte abfuisse, unde post variorum remediorum usum servatus est, lactei intestini piscis, nobis qui dicitur haringus, usu per aliquot hebdomades continuato; quod omnibus phthisicis experiendum commendat.

Raulin (1) refert exemplum jurisconsulti sagacissimi, cujus uxor mortua erat phthisi; dum autem secunda vice matrimonium iniret, prohibebat, ne haec uxor, aliquid in usum acciperet, quo mortua usa fuisset, ast manicarum pulchritudine allecta, illis usa fuit et post breve tempus incepit tussire et phthisi affecta, evanuit.

Pag. 63. idem scriptor exemplum habet Presbyteris 40 annos nati, qui cum domina phthisi mortua tempore vitae quotidie chartis luserat pictis (parvae accumbentibus mensae) paulo post mortem dominae afficiebatur tussi sicca quae brevi humida fiebat et purulenta, aderat febris hectica et totum consumebatur corpus.

In Gazette de Santé legimus: Lazuriaga (2) medecin de Bilbao dit qu'une religieuse étant morte dans un couvent on brula ses hardes et on blanchit les murs de sa cellule qui d'ailleurs était bien exposée; celle qui vint habiter la même cellule périt bientôt de la même

(1) Traité de la phthisie pulmonaire, Ed. II. Paris 1784. pag. 60.

(2) Observ. inséré en 1787 dans la Gazette de Santé pag. 39.



maladie, une troisième en fut encore la victime dans le cours de la même année, malgré toutes les précautions que l'on avait pu prendre; et malgré surtout la santé excellente dont avaient joui auparavant les deux femmes. Enfin on s'aperçut que le seul cordon de sonnette qui arrivait au lit n'avait pas été changé; depuis qu'il eut été renouvelé, la chambre fut habitée sans danger.

Tristis, inquit Weickard (1), haereditas est liberis, quum iis ex parentibus innata est phthiseos dispositio; cognovi phthisicum patrem, qui tres procreavit liberos qui omnes sicuti pater, tricesimo circiter anno phthisi sunt mortui. Uterque filius ecclesiasticus mortuus est caelebs. Filia nupta est marito, juveni sanguineo, cum illoque communicavit phthisin ita ut hic, etiam ante ipsam, mortis factus sit praeda. Duos ex eo suscepit liberos, qui ipsi vicesimo aetatis anno phthisi succubuerunt.

Hufeland (2) dicit: contagiosa vis phthiseos, (in ultimo stadio) quam saepius jam observavi, nuper rursus clare mihi confirmata est. Sanus puer rusticus imprudente liberalitate accipit vestes phthisi mortui. Utitur iis et ipse post semestrem hoc morbo contingitur et moritur. Quoties ignota causa phthiseos sita fuerit in veste, lectove, hoc miasmate imbutis! Et quam raro externus lectorum habitus hoc indicat! Deinde in Encheiridio medico (3) de causis phthiseos pulmonalis dicens, sic loquitur: Eindelijk moet nog het

---

(1) Medicinische Fragmenten und Erinnerungen, Frankf. Main 1791. pag. 125.

(2) Journal der Practischen Arzneykunde und Wurdarzneykunst, Band VII. Stuk I. Jena 1799. pag. 35.

(3) Ench. Medic. vertaald door Hageman Jr. derde uitgave, Amsterdam 1841. eerste deel pag. 370.



contagium phthisicum genoemd worden. Het is onloochenbaar dat bij eenen hoogen graad van phthisis ulcerosa, uit de longen zich eene aanstekende stof kan ontwikkelen, die de ziekte aan anderen, echter alleen aan hen die aanleg tot longtering hebben, kan mededeelen en zelfs in lang gebruikte veeren bedden en kleedingstukken kan worden overgedragen, echter in zuidelijke streken ligter dan in noordelijke.

Baumes (1) exemplum affert mariti, qui quum tres deinceps conjuges phthisi occubuissent, ipse symptomata incipientis phthisis ostendit, quae tamen sex septemve hebdomadibus post disparuit.

Apud Scharlau (2) invenimus haecce: Wij kennen een voorbeeld dat een Student aan de tuberculeuse longtering overleed, en dat zijn broeder slechts weinige jaren jonger en toen nog op het Gymnasium, zijne kleederen droeg; ook hij stierf, twee jaren na den dood zijns broeders. Addit tamen: wij durven echter niet beslissen of hier eene wezenlijke besmetting werkzaam was; waarschijnlijk is de erfelijke aanleg van beiden de oorzaak geweest. Alzoo kunnen wij dus de besmettelijkheid der longtering en der tuberculosi niet voor volstrekt onmogelijk, hoewel toch voor zeer beperkt houden, en aannemen, dat de meeste daaromtrent gemaakte waarnemingen op eenen erfelijken aanleg berusten.

(1) Traité sur la phthisie pulmonaire, connue vulgairement sous le nom de maladie de poitrine, Edit. II. Paris 1805. Tom. I. pag. 190.

(2) De Tuberculeuse Longtering, Alkmaar 1843. pag. 90.



## CAPUT II.

### SENTENTIAE EORUM QUI PHTHISIN PULMONALEM NON CONTAGIOSAM HABUERUNT.

Ut medici veteres fere omnes phthisin pulmonalem contagiosam habuerunt, sic inter recentiores quidam contagiosam phthiseos indolem negantes, insurrexerunt contra duras illas leges politicas, quae concremari jubent singula quae usui phthisicis fuerant. Huc pertinent Antonius Cocchius et Castellanius Mantuae Clinices professor, quos tamen scriptores mihi consulendi non fuit opportunitas.

Deinde inter illos qui hac de re imprimis disputarunt est profecto A. Portallius (1). Medici, inquit, sunt, alii, qui phthisin dicant esse haereditariam; alii esse contagio-

---

(1) Observations sur la phthisie de naissance in Histoire de l'académie royale des sciences pour l'année 1781. Paris pag. 631; et deinceps in libro de la phthisie pulmonaire, Ed. II, Paris 1809.



sam, non haereditariam; alii rursus, et horum quidem numerus est maximus, et haereditariam et contagiosam. Haec opinionum diversitas diu me occupavit; in patria mea, vestes phthisici mortui sedulo combustas vidi, hoc in Languedoc quoque fieri solet; in Hispania et Portugalia lege hoc cautum est; in Italia similiter agitur et principes illic medici, metu scilicet contagii, nulla secuerunt cadavera. Diu, hac opinione inde ab adolescentia imbutus, dubitavi ejusmodi secare cadavera; exemplo vero medicorum minus timidorum incitatus et utilitatem hujus operis persuasam mihi habens, hanc aversionem vici, et in calidissima etiam aestate tum Parisiis, tum Montepessulano multa phthisicorum cadavera aperui, neque vero ego, neque quisquam studiosae juventutis, quae lectiones meas frequentabat quaeque opem mihi ferebat in investigando, ullum inde accepimus incommodum. Porro dicit, totas familias ferri phthisi mortuas esse usu vestium eorum, qui eodem morbo obiissent.

Facta sunt procul omni dubio posita, sed conclusio nonne est audax? Nonne organica quadam potius dispositione phthisis in quibusdam familiis se extendat?

Nonnumquam hic morbus, antequam in familia se explicet, videtur expectare donec omnes certam quandam attigerint aetatem. Gaillaciae in Albigeois cognovi familiam quinque liberorum, duorum puerorum triumque puellarum, quae omnis hoc morbo periit; omnes attigerunt, optima valetudine utentes, vicesimum tertium usque ad tricesimum annum omnesque mortui sunt phthisi ante aetatis annum tricesimum secundum. Tres majores natu diem obierunt intra duorum annorum spatium, reliqui duo decem circiter annis post; contagium si locum habuit, diu in duobus



postremis liberis expectatum est. Nullum adfuit contagium, morbosa vero dispositio. Nonne praeterea quotidie videmus, mori homines aetate propecta phthisi, quorum parentes in prima aetate eodem occubuerunt morbo? Ejusmodi igitur facta non contagio possunt explicari.

Phthisis si esset contagiosa, nonne medici, aegrorumque ministri saepe eam suscepturi essent? Nonne vero quotidie contrarium videmus? vel potius, ullumve clarum habemus exemplum, morbum hoc modo se communicasse? Contra vidi equidem aegrorum ministros, qui vestes (hemden), phthisicorum sudore imbutos, manibus exprimerent, neque vero ullus morbo fuit contaminatus; quodsi vero hic ille jam laborasset phthisi vel suscepisset eam ex quacumque tandem causa, hoc profecto exemplum citatum fuisset quo contagium probaretur, nullis aliis exploratis causis.

Dicunt etiam, si alter conjugum phthisi sit affectus, alterum eam quoque posse ab altero recipere, hujusque rei afferunt argumentum, nonnumquam, altero mortuo, alterum eodem periisse morbo. Quam multiplicia innumeraque contrarii sunt exempla? Vidi maritum, qui, duabus uxoribus phthisi perditis, ipse octodecim post annos, moreretur hydropi ascitide. Multa similia exempla afferre licet, atque videre, conclusionem esse factam communem ex singulis casibus, qui accuratius explorati minime contagium probarent. Restat praeterea quaestio, an ultimo loco moriens conjux non ipse phthisi laboraverit, vel eam nactus sit ex alia omnino causa, ac quae putaretur.

Nonne, phthisis quum sit morbus tam frequens ut secundum Sydenhamum bessem illa expleat partem morborum chronicorum, uterque conjux eam perire possit, altero ab altero non suscipiente?



Ex hisce omnibus luculenter apparet, phthisin pulmonalem haereditariam esse, sed numquam contagiosam.

Etiam Stollus (1) eandem sententiam profitetur, quippe dicit: Equidem non puto phthisin purulentam aut etiam aliam esse contagiosam, quamvis plurimi id asserunt, et quamvis Morgagnius phthisicorum corpora numquam dissecuerit ex metu scilicet contagii. Quaeso, an abcessum pus fundentem times ob contagium? Si in pulmone locatus sit nonne idem erit excepto solo loco? Nihilominus sudor impurus tabidi hominis aërem cubiculi inquinat, admissus et susceptus ab accumbente noxam inferre potest.

Etiam Frank (2) contagiosam phthisin non habet, quod alia ulcera simplicia contagiosa non sunt; foetent quidem interdum, ut aliarum partium, ita etiam pulmonum ulcera, at faetor non est contagium, laedere licet faetor valeat. Quod post mariti phthisici obitum et uxor ex phthisi pereat, explicari potest, quod vel uterque conjux dispositus fuerit, vel causam quandam phthisin invitantem admiserit.

Haase (3) dicit, certatur etiamnum de quaestione, utrum phthisis ulcerosa sit contagiosa nec ne. Analogiam vero si sequimur aliorum phthiseos generum, phthiseos hepaticae, renalis, uterinae caet., phthisis pulmonalis non licet haberi contagiosa, eoque minus quum ipsi hujus sententiae defensores concedant, eam

(1) Praelectiones in diversos morbos chronicos, Ed. Eyerel 1789. Vol. II. pag. 128.

(2) J. P. Frank, de curandis hominum morbis Epitome, Éd. J. Eyerel Lib. VI. de retentionibus, Viennae 1805. pag. 489.

(3) Dr. W. A. Haase, Ueber die Erkenntniss und Cur der Chronischen Krankheiten Zweyte Abtheilung, Wien 1820. pag. 402. (1)



in extremo praecipue stadio, eosque prae caeteris contaminare, in quibus dispositio jam adsit; quod illam opinionem reddit valde suspectam. Eos vero, qui cum aegro versantes in ultimo phthiseos stadio una habitent, saepe, multo vero saepius aliis morbis, phthisi attingi; nihil hoc probat de ipsius phthiseos contagione, sed hoc solummodo, hic quoque in extremo morbo tales existere solutiones massae organicae (Entmischungen der Organischen masse) quae aegrum circumfundentem aerem contaminent, eoque perniciosam in praesentes possint exercere vim. Hinc et quod hae solutiones, quo major est caloris gradus, eo facilius oriuntur, apparet, quare secundum multorum medicorum sententiam phthisis pulmonalis in meridionalibus calidisque regionibus sit magis contagiosa, quam in septentrionalibus ac frigidioribus.

Nacquart (1) quaerit, quid statuendum sit de contagione phthiseos, a multis medicis, quin etiam a totis gentibus civitatibusque accepta? Ne tota quidem medicorum collegia hac de re certam ausa sunt enuntiare sententiam. Itaque, quum anno 1784 ab rege Neapolis duodecim illius urbis collegii medici juberentur hanc quaestionem explorare, quemadmodum factum erat Florentiae, jubente magno-duce Toscanae, sententiae fuerunt divisae:

Inter quos adeo disceptatum est, ut dimidia pars abierit in sententiam contagium affirmantem, altera vero in negantem; eo tamen argumentorum pondere priori praestantem, ut idem tribunal decreverit instabilem esse vulgi veterem de contagio phthisico timorem indeque abrogari legem qua jubentur medici de-

(1) Dictionaire des Sc. Medicales, Tom. VI. pag. 61.



nuntiare de his qui in posterum obibunt ex morbo phthiseos (Opuscula medica auctore Cantabro Romae 1793). Narrat porro historiam nonnarum Bilbaensium et sic pergit: Une pareille histoire est si fort en opposition avec ce qui se passe journellement sous les yeux des médecins qu'on doit la révoquer en doute et la ranger parmi les faits mal observés. Cependant il ne faudrait pas assurer qu'il n'y a aucun danger à coucher avec un phthisique dont les sueurs inondent le lit, mais alors on n'a qu'à redouter seulement l'impression délétère que des sueurs colliquatives et des refroidissements fréquents pourraient porter sur le corps, et non la transmission d'une véritable phthisie pulmonaire. On doit dire la même chose de tous les vêtements qui ont été imprégnés de ces sueurs et que l'on est en plusieurs pays dans l'usage de brûler. Paris est peut-être la seule Capitale dans laquelle le commerce des vieilles hardes ne soit soumis à aucune loi de police sanitaire.

Apud Laennec (1) invenimus: La phthisie tuberculeuse a longtemps passé pour contagieuse et elle passe encore pour telle aux yeux du peuple, des magistrats et de quelques médecins dans certains pays, et surtout dans les parties méridionales de l'Europe. En France, au moins, il ne paraît pas qu'elle le soit: on voit souvent, chez les personnes qui ont peu d'aisance, une famille nombreuse coucher dans la même chambre qu'un phthisique, un mari partager jusqu'au dernier moment le lit de sa femme phthisique, sans que la maladie se communique. Les vêtements de laine et

---

(1) Traité de l'Auscultation Médiate Edition IV. Paris 1837. Tom. II. pag. 178.



les matelas des phthisiques, que l'on brûle dans certains pays, et que le plus souvent on ne lave même pas en France, ne m'ont jamais paru avoir communiqué la maladie à personne. Quoi qu'il en soit, la prudence et la propreté demanderaient qu'on prit habituellement plus de précautions à cet égard. Beaucoup de faits, d'ailleurs, prouvent qu'une maladie qui n'est pas habituellement contagieuse peut le devenir dans certaines circonstances.

Volgens onze overtuiging, ita Canstatt (1), is de door eenvoudige tuberculeuse kwaadsappigheid gevormde tuberkelstof op zichzelf niet het voermiddel van eene smetstof, zoo als men voorheen wel geloofde. Maar hoe dan, zoo zij uit eene aanstekende kwaadsappigheid bijv. venusziekte haren oorsprong neemt? Ook dan geloven wij niet aan besmettelijkheid, daar wij weten, dat de smetstoffen des te meer werkzaamheid verliezen hoe meer veranderingen zij doorloopen. Ook zijn tot hiertoe alle proeven van inenting der tuberkel- en scrofelstof vruchteloos gebleven. Miasma kan zich voorzeker in het beloop van langdurige met colliquatieve ontlastingen verbondene scrofel- of tuberkelziekte in den naasten dampkring des lijders ophopen en door de omgeving schadelijk worden. Dat nu onzuivere lucht mede oorzaak kan worden van tuberculosis lijdt geen twijfel, en verklaart genoegzaam die gevallen waar men eene overbrenging der ziekte door aansteking meende te kunnen aantoonen.

Lugol (2) quoque, quum dixit, se numquam neque

(1) Handboek der Geneeskundige Kliniek vertaald door Hageman Jr. deel I. afl. II. 1843. pag. 226.

(2) Recherches et Observations sur les Causes des Maladies Scrofuleuses, Paris 1844. pag. 331.



in Hospitio St. Ludovici, neque in urbe vidisse exempla, quod scrofulosis se communicaverit, sic pergit: Les relations conjugales les plus intimes ne produisent pas l'inoculation de la maladie alors que l'un des époux en est atteint au degré le plus avancé; cela est surtout très commun pour les tuberculeux-pulmonaires.

### CAPUT III.

Ad ultimum deinde progressus caput, Andral-  
 lui (1) affirmat verba potius probetur quam difficultis  
 solutio hujus questionis sit: «Une pareille question  
 sera toujours scientifiquement très difficile à résoudre,  
 en raison de la fréquence de la phthisie». Quamquam  
 non audeo judicare, ubi tantæ auctoritatis viri  
 dubitant ad certam pronuntiandam sententiam; ta-  
 men deinceps facta, potius contagionem phthiseos  
 manifestam reddere student scriptores, explorandam,  
 ut sic exprimus, an revera illud demonstretur, quod  
 erat demonstrandum.  
 Necesse autem erit, in certum eos redigere ordinem,  
 ne in inutilis incidamus repetitiones.

(1) In annotationibus prout facti in Larnet Tracts de l'Anatomie  
 Médicale, Paris 1837. Tom. II. pag. 186.



in Hospitalo St. Iulovici, nequaquam in utroque videtur ex-  
pla, quod scrofiosis se communicaverit, sic patet.  
Les relations conjugales les plus intimes ne produisent  
pas inoculation de la maladie alors que l'un des  
époux en est atteint au degré le plus avancé; cela est  
surtout très commun pour les tuberculeux-pulmo-

### CAPUT III.

#### EPICRISIS SENTENTIARUM QUAS SCRIPTORES HAC DE RE DEDERUNT.



**A**d ultimum denique progressus caput, Andral-  
lii (1) afferam verba quibus probetur quam difficilis  
solutio hujus quaestionis sit: » Une pareille question  
sera toujours scientifiquement très difficile à résoudre,  
en raison de la fréquence de la phthisie." Quamquam  
non audeo dijudicare, ubi tantae auctoritatis viri  
dubitarunt ad certam pronuntiandam sententiam; ta-  
men deinceps facta, quibus contagionem phthiseos  
manifestam reddere student scriptores, explorabimus,  
ut sic exquiramus, an revera illud demonstretur, quod  
erat demonstrandum.

Necesse autem erit, in certum eos redigere ordinem,  
ne in inutiles incidamus repetitiones.

---

(1) In annotationibus quas fecit in Laenneci Traité de l'Auscultation  
Mediate, Paris 1837. Tom. II. pag. 180.



Sunt aut parentes, fratres, sorores vel ministri qui morbum sibi contraxerunt in cognato vel contubernali procurando vel custodiendo.

Aut conjuges, alique, qui una habitando in unoque lecto dormiundo secum invicem morbum communicaverunt, nutrices infantesque lactentes.

Aut homines qui usi sunt vestibus, supellectile, lectisque eorum, qui phthisi sunt mortui.

Aut denique, sunt qui contraxerunt phthisin pulmonalem inhalatione vaporum, qui exhalantur ex sputis vel ex pectore ejus qui hoc morbo laborat.

Sine opinione autem praejudicata si consideramus diversas conditiones, quibus contagium probabile est visum, nonne tum plerumque eodem jure alibi quoque causa possit invenire?

Si frater sororve infaustum morbum in se vidit se explicantem, qui fratrem jam vel sororem abripuit, quem ipse plus minus custodiverit, nonne tum eodem jure semen hujus morbi in his supponi possit? Nonne imputabuntur labores in curando aegro et defatigationes, dolor praeterea amissi cari mortui (1). Causae profecto quae sufficient, nisi ad generandum at certe ad excitandum hucusque sopitum semen morbi. Nonne idem locum habet in ministris, qui heris ad extremum usque vitae punctum fideliter assidueque inservierunt. Nonne sufficit, tristem Sydenhami observationem, quacum omnes medici consentiunt, afferre de phthiseos frequentia. Poni quidem non potest, hos ministros nonnumquam excellenti usos esse valetudine et floridi fuisse habitus; nam nonne quotidie videmus, homines, qui optima frui videntur sanitate, subito et

(1) Quisnam hoc loco non verbis Eisenmanni cogitat? Die Lungen-tuberkeln sind gar oft nach innen geweinte Thränen.



sine ulla causa (quo potius igitur causae notae si accedant) plane immutari ac tabescere? Nonne jure hic opponi licet sexcenta exempla ubi cognati cognato, ubi ministri hero phthisico inservierunt, neque tamen ullum inde nacti sunt incommodum? Num verba, num experientia A. Portali nihil probant: Si la phthisie était contagieuse comme on le croit; les medecins et les gardes-malades ne la contracteraient-ils pas fréquemment? mais n'observe-t-on pas le contraire tous les jours? ou pour mieux dire a-t-on quelque exemple que la phthisie ait été communiquée de cette manière.

Exempla quae apud scriptores reperi sunt Rivierii et Swietenii.

Et profecto, diagnosis morborum pectoris quum eo tempore fuerit minus certa, dubitandum est, num famula illa revera phthisi fuerit obnoxia, illud certe »ast tamen artis auxilio fuit curata" valde videtur suspectum; et quamvis demonstratum fuerit cadaverum sectionibus a Laenneccio aliisque, phthisin aliquando fuisse curatam, erunt profecto »rari nantes in gurgite vasto." Verum, si ponas, revera illud phthisin fuisse neque tamen, propter causas supra commemoratas, cogitandum est de contagio. De casu Swietenii deinceps loquendi erat opportunitas.

Sequuntur exempla conjugum qui secum hunc morbum communicaverint; nonne hic quoque uterque conjux, frequentia phthiseos considerata, potest habuisse praedispositionem? Nonne hic quoque labores doloresque suam possunt exercuisse vim? Nonne hic quoque considerata sunt innumerabilia quae quotidie conspiciuntur contrarii exempla? Nonne saepissime videmus tales casus locum habere quales memorat Portalus? Et quis nescit, aegrotantem, quocunque tandem morbo laboret, perniciosam vim exercere in sanos qui



sine intercessione prope ipsi adsunt. Fieri non potest, quin phthisicus, obnoxius calori febrique hectico, cujus corpus tabescit sudore colliquativo, ulcerationeque, sit circumdatus aëre, qui aliorum valetudini sit perniciosus, et sic possit conducere ad explicandum sopitum fortasse semen, vel ad excitandam una cum aliis causis phthiseos formationem. Quod vero minime ipsum probat contagium. Neque est obliviscendum, sanum conjugem, phthisici quum sint valde ad amorem propensi, non tantum nimis repetitam consuetudinem, verum etiam cum corpore aegroto, experiri; qui nimis repetitus coitus nonne potest una cum aliis causis conferre ad explicandam cachexiam tuberculosam, in junioribus praesertim, teneris et irritabilibus hominibus? Huc accedit, connubia ex vero amore contracta, falsa esse consentientibus animi, corporisque facultatibus, quae, alterae ex alteris quum deducantur, utraeque inde in hujusmodi connubiis sibi invicem erunt similes, unde sequitur, utrumque conjugem ad eundem morbum fore dispositum.

Nonne ii igitur casus quos afferunt v. d. Bosch et Weickard, consideratis innumeris contrarii exemplis, satis superque poterunt explicari ex rationibus a me allatis?

Illud Baumésii, qui, tribus uxoribus phthisi perditis, prima ipse hujus morbi symptomata ostendit, potius, puto, probaret, non contagiosam esse phthisin, quum quidem sit probabile, incipientem illam phthisin nihil aliud fuisse nisi catarrhum vel bronchitidem; intra sex certe hebdomades convaluit!

Neque Fritzii illud mihi multo plus videtur probare cum phthisis ista, lacteo harengi intestino sanata tricesimo ipsius aetatis anno valde suspecta mihi videatur.



Quoad casum quem Fournier refert, multo aequius videtur opinari, in ipsa nutrice phthisin fuisse pulmonalem, quae sopita tempore graviditatis, lactis secretionem accrevit, quam credere in recens nato phthisin pulmonalem et contagiosam quidem existere!

Hildenbrandus quoque dicit, nutrices hunc morbum in infantes lactantes transferre. Exemplum nulum affert sed hoc dicit, imprimis illud fieri, si maceratae morbosaeque nutrices alerent infantes pane manducato neque paullulo, quod ipsis esset lactis. Cur vero hi infantes potius phthisici fierent quam qui ipsum lac morbosum imbibant, non satis equidem intelligo.

Pervenimus nunc ad tertium ordinem nempe communicationem quae fieri dicitur per vestes aliaque ejus qui phthisi mortuus est. Huc quoque videntur transtulisse illud notum »post hoc ergo propter hoc." Nonne multo est aequius tales assumere causas, quas experientia dilucide docuit posse procreare phthisin, quam quaerere istiusmodi causas, quae saepius incredibiles videantur.

Nonne probabilius est in casibus a Raulin narratis tribuere phthisin vulgaribus causis, quam ipsi usui manicarum chartarumque pictarum, quodsi praeterea phthiseos frequentia consideratur atque omnes casus si opponuntur, in quibus simile quid quum factum esset neque tamen phthisis fuit excitata. Laennec quidem dicit: »Les vêtements de laine et les matelas des phthisiques que le plus souvent on ne lave même pas en France ne m'ont jamais paru avoir communiqué la maladie."

Nonne similiter in nonnarum illa historia multo potius phthisis tribui potest ipsius morbi frequentiae, praesertim quum quotidiana doceat experientia et summi hac in re consentiant viri docti,



phthisin esse frequentissimam in monasteriis carceribusque; porro vitae caelebique qua coguntur, inclusioni, vitae rationi, tristibus animi affectibus, masturbationi cui saepe se dedant?

In adolescente (Journal de Paris) qui vestibus patris phthisi mortui, usus erat, et cujus quatuor patrui phthisi obierant, nonne potius de innata phthisi est cogitandum?

Nonne propter eas, quas supra memoravi, causas (ut inutiles vitem repetitiones) idem statuendum est de eo quod Fritze et Hufeland narrant? Et licet unus alterve casus fortasse minus clare explicari possit ex causis vulgaribus," was beweisen, (ut Portalii (1) verba afferam), gegen die Allgemeinheit der Beyspiele vom Gegentheile einzelne isolirte, wenig haltbare Thatsachen? um so mehr, da man von den einzelnen familien umständen, die bey den Personen, die angeblich mit der Schwindsucht angesteckt seyn sollen, eintraten, nichts erfährt?

Quod ad metum, quem ostenderunt Morgagni, Valvsa aliique, ne explorandis cadaveribus eorum qui phthisi mortui essent, ipsi contaminarentur, illud videtur nimis esse dictum et a veritate abhorre; certe facta non citantur in hujus rei fidem. Et quamvis materies in tuberculorum cavitatibus acerrima esse videatur, multae tamen cadaverum phthisicorum sectiones, quas fecerant Starck, Portal alii maxima etiam aestatis calore, satis superque contrarium probant.

Quod denique attinet ad communicationem phthiseos pulmonalis explicanda materie contagiosa e pectoris cavitate, vel ex sputis phthisicorum; si ulla, haec sane est via, per quam se communicare possit.

(1) Ueber die Lungenschwindsucht uebersetzt durch Mühry.



Notum est, in cubiculo ubi concumbant phthisici, aërem adesse dulcem acidam, qui in sanis pecularem titillantem procreat in aspera arteria affectionem. Aër igitur, qui in illis cubiculis e morbo pulmonibus exhalatur, contaminatus est materie animali (eo magis quod sudor nocturnum eandem explicat materiem); licet autem non audeam dijudicare utrum talis aër natura sit contagiosa, an non, quod in praesenti rerum statu difficile est ad decernendum, potest, ut arbitror, aër licet non sit contagiosus, sed per ipsam acerbiter, efficere, ut naturalis impediatur respiratio; praesertim si offenderit aliquem qui phthiseos (1), quod vero saepissime accedit, et a vel maximis contagii defensoribus necessario requiritur; ex qua causa exempla explicari possunt in quibus contagium adesse visum esset. In regionibus autem meridionalibus exhalationes pulmonales calore magis etiam materie animali repleti, hoc quidem in nullum dubium vocabitur, satisque explicat, quare in meridionalibus regionibus contagiosior habeatur phthisis quam in frigidioribus. Quod vero attinet ad hac in re incertitudinem, hoc maxime inde repetendum videtur, quod de tot contagii rationibus etiamnum dubium restat.

Qui huc pertinent casus sunt juvenis illius apud Swietenium cujus sputa tam foetida erant, ut ipse qui non adeo delicatus erat vix perferre possit; et qui hinc et sororem et ancillam infecisset, quae ipsi aegrotanti assidue ministraverant. Ad dirimendam difficilem hanc quaestionem hic casus non multum confert, quum

(1) Idem hac in re fit, quod antea recepta sententia, phthisin oriri posse ex praecedente catarrho vel pneumonia quae fortasse conducere poterunt, ut tubercula in Emollitionem transeant, numquam vero valebunt procreare cachexiam tuberculosam.



nihil dicatur, nisi, »infecit sororem et ancillam” neque utrum (quod probabile quidem est) quemadmodum in fratre, sic in sorore quoque adfuerit dispositio, neque quiaenam fuerit ancilla ista, num validae constitutionis fuerit, qua aetate, qua familia, neque utrum brevi an diu post juvenis mortem aegrotaverint, utrum convaluerint an obierint.

Porro huc referendum videtur, exemplum puellae in Dec. miscellan. ann. quart. quae quum caput esset subnixa venerandi illius Theologi qui haemoptysi laboraret, ipsa sequenti nocte aequae ac ille sanguinem expuit et deinde phthisica facta est. Multo magis mihi videtur esse consentaneum ut accipiamus, in hac puella phthiseos fuisse dispositionem, terrorem autem et affectionem in ejusmodi constitutione sputum sanguinis excitavisse.

Ex his unis alterisque ostendisse videor mihi, quantum fieri poterat, facta illa, quae afferuntur ad probandum contagium, non minus posse tribui causis magis vulgaribus.

Sed ex analogia quoque prope jam possumus statuere, non contagiosam esse phthisin, quum duo medici Franco-Galli Hébréard et Lepelletier (1) in animalibus inoculationem puris ex ulceribus scrofulosis experti sunt et Lepelletier praeterea in se ipso, sine ullo eventu. Kortum (2) quoque dicit: Neque materies ex ulceribus scrofulosis benignis effluens, contagiosam vim habet, id quod ex nonnullis a me institutis tentaminibus apparet; quippe materiem ex talibus ulceribus desumptam puello sano ad latus colli integra cute infri-

(1) Dict. de Med. Tom. XIX. pag. 194.

(2) Isagoge in doctrinam morborum chronicorum auctore G. C. B. Suringar, Part. I. pag. 147.



cavi, alii vero puero, cuticula exiguo vulnuscule, velut in variolarum insitione fieri solet, disrupta, itidem in superiori colli regione — applicavi — et ne ullam quidem inde observare potui morbi communicationem.

Haec quum ita sint in pure ex ulceribus scrofulosis, necessario idem locum habebit in pure ex ulceribus tuberculosis quippe quum signa naturalia et materialia scrofulorum et tuberculorum eorumque decursus et causae, naturae similitudinem satis probent. (Abercrombie, Bayle, Meckel, Carswell, Sebastian, Canstatt, caet.)

Ex hisce omnibus apparuisse credo, in plurimis casibus non ad contagium esse confugiendum, neque vulgo contagiosam esse phthisin. An vero fieri possit contagiosa certis in causis difficile erit dijudicandum, quum secundum Laennecum morbi, licet vulgo non contagiosi, fieri tamen possint; praesertim vero si Starckio credendum est dicenti: »Fast alle Krankheiten können bedingungsweise ansteckend werden.»



## THESES.

### I.

**Tuberculosis et scrofulosis sunt modificationes ejusdem morbi.**

### II.

**Tubercula non sunt producta inflammationis.**

### III.

**Phthisis pulmonalis vulgo non contagiosa videtur.**

### IV.

**Cranii trepanatio incertissima operatio, ideoque vix unquam convenit.**



## V.

Non cum Hüfelando consentimus dicente: Es würde eher möglich seyn, ohne sonst etwas von dem Kranken zu wissen, bloss nach dem Pulse ihn richtig zu beurtheilen und zu behandeln, als mit der kenntniss aller übrigen Zeichen ohne den Puls.

## VI.

Non semper inflammatio, ubi crusta ita dicta pleuritica.

## VII.

Paracentesis vesicae supra ossa pubis reliquis methodis praeferenda videtur.

## VIII.

Passio hysterica et hypochondriaca non sunt ejusdem speciei varietates sed revera distinctae morbi species.

Pr. v. d. Hoeven.\*

## IX.

Hydrops magis sequela morbi quam morbus.

## X.

Minus recte Cl. Schönlein: Merkwürdig ist noch die Gegensatz zwischen Tuberkel und Intermittens, beide scheinen sich aus zu schlieszen.



## XI.


Docimasia pulmonalis non sufficit ad dirimendam  
quaestionem utrum infans vixerit nec ne.

## XII.

Emollitio cerebri non semper inflammationis exitus.

## XIII.

Excisio uteri carcinomatosi vix est admittenda.







invenitur in hunc usque modum  
non solum in hunc usque modum

invenitur in hunc usque modum  
non solum in hunc usque modum

invenitur in hunc usque modum  
non solum in hunc usque modum



Old Ricks # 3586

Accession no. ACK

Roodenberg, Mic

Author

Dissertatio medica  
inauguralis de phthisis

Call no.  
19th cent

RC310.5

R66

1844



